…slaus

Posnan. Coll. S. J. Juventutis Acroama poëticum.

# ACROAMA POETICVM
A
*CONSTELLATIONIBVS*
HORIZONTIS POSNANIÆ

# VRSÆ
# ET VIRGINI
## PRZYIEMSCIANÆ.

*IN*
INGRESSV
*ILLVSTRISSIMI DOMINI,*

## D. STANISLAI
## PRZYIEMSKI
PALATINI POSNANIÆ
Capitanei Koninensis, &c. &c.

## ACCLAMATVM.

*ET EIDEM,*
A STVDIOSA IVVENTVTE Collegij
Societatis IESV Posnaniæ.

*Anno Virginei partus M. DC. XXIV.*

## OBLATVM.



POSNANIÆ,
In Officina Ioannis Wolrabi, Anno Domini, 1624. 6.

R. P.ri olim meo Andreæ [illegible] X. T.
Hæc ego, inter strepitus meditor varios.
mallem quietem R.V. dilig[illegible] quies
et non vere requies.

# IN STEMMA ILLVSTRISSIMI PALATINI.





*Icaris Erigone Boreetida ſubiugat Arcton,*
*Inſtaura Plauſus Lechia læta nouos.*
*Diſcordes animi, diſcedite, bella, tumultus,*
*Cicurat has Virgo Przyremiana feras.*

*VLADISLAVS CZARNKOWSKI.*

IHS

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

# D. STANISLAO PRZYIEMSKI PALATINO POSNANIENSI,

Capitaneo Koninensi, &c. &c.

*IOANNES NOWODWORSKI.*

*INTER inerrantes ſtellarum imagines, non vulgati generis Arcturus ab Aſtronomis numeratur ILLVSTRISSIME DOMINE. Is nequidquam à curſu ſibi à natura præfixo deuians, illa dierum quâ tu Palatinus Varſauiæ nuncupatus es, exordium (vt cum Pöetis loquar) ibidem chronicum accepit. Quid ita? num tibi cælum aperte non applaudit? num auſpicata non parturiunt nouas fortunas omina? Si, vel in creandis Conſulibus, vel in Prætoribus domum ex Curia deducendis ſuperſtitioſa Romanorum antiquitas hoc augurium habuiſſet; Deum immortalem? quam non excitaſſet religionem, quos triumphos non acclamaſſet, ſacras apparaſſet apotheoſes, ferias inſtituiſſet ſolennes, lemniſcata pro foro poſuiſſet delubra, Flamines trabeatis conchiliatisq́ purpuratos abollis in Capitolium expediuiſſet, in furias Adraſtiam concitatam affirmaſſet, cæcam cæcam proclamaſſet Rhamnuſidem: deniq́ plurima hinc, licet dubia, certiſsimo deducere conata fuiſſet. Licuiſſent hæc olim Romanis, quidni modò tuo in negotio liceāt nobis ILLVSTRISSIME DOMINE; præſertim verò cùm nec Adraſtiam furere, nec Rhamnuſidem cæcutire, neq́ Nemeſim temerariam eſſe hoc in honore certò ſcimus. Quis enim niſi liuore cæcus non aduertat, Vrſæ tuæ debitum hunc iam pridem fuiſſe honorem?*

*rem? quem Arctophylax suo exornauit exordio. Inuida es certè Rhamnusis, quæ ILLVSTRISSIMI PALATINI illustrissimis Auo & Patri tantum inuidisti lætitiæ argumentum? Meruerant profectò, vt ille regni, hic aulæ Marescalchus, Palatinum Posnaniam, si non deduxissent, deductum saltem læti vidissent. Quibus illi modo non triumphassent gaudiis, quæ non excitassent acroamata? cum vterq; propriam in illo suorum in patriam meritorum expressam vidisset imaginem, amorem Reipublicæ, culturã religionis, virtutum specimen, pietatis honorem aduertisset. Sed non habuistis vos ô columina Reipublicæ numen ita fauens quibus id vidisse licuisset; nostris hoc temporibus concessum, nostro commissum labori, vt quibus par est lætitiæ significationibus Palatinum in vrbem inducamus, inductum applausu excipiamus, excepto fausta adprecemur omina. An igitur non merito ILLVSTRISSIME DOMINE has tenues lucubrationes noster tibi deuouet Apollo? vt Dei respondeat fauoribus. At impares tuæ dignitati? fateor: sed non impares illius occupationi. At Pöeticum laborem? non inficior: sed animum tibi Themistoclis adesse non dubito, qui non nisi Pöetam virtutum suarum præconem habere Athenis voluit. At ex occultis Astrophilorum petitas arcanis? non nego. sed quæ non fuit Pöetis potestas? Perge itaq; felici pede ILLVSTRISSIME DOMINE, & Apollini nostro pro tuo erga illum amore, eam quam ipse sibi pollicetur, apud te stationem præbe.*

*Vale & viue.*

# ARGVMENTVM REI.

## STANISLAVS GEMBART.

PRIDIE Iduum Februarii in Horizonte Varsauiæ, Arcturus Chronicè ortus, ILLVSTRISSIMO D.D. STANISLAO PRZTIEMSKI, Posaniensis Satrapiæ (nos Palatinatum dicim⁹) munus à S. R. M. delatum aduertit. Gestiens itaq; hoc spectaculo, ad motum cœli, parte sui prima Horizontem aspexit Posnaniæ, vbi solicitum, anxiumque de absentia Palatini Taurum (cuius curæ Posnaniam, cõmittunt Mathematici) aduertens, Aenigma soluendum proponit, quo ambagibus occultis, ILLVSTRISSIMI D. PRZYIEMSKI Palatini, tũ virtutis, tũ generis, inuoluit decora. Impar tanto labori Taurus, Erronũ, quos Planetas Græci nũcupant, erroneas adit domos, à quibus, vt pote Vatibus, futurum Palatinum, Aenigmate Arctophylacis inuolutum expostulat. Respondent votis Planetæ, atq; ex ordine singuli, literis Alphabeticis collatis, prout quisq; illis præerat, nomen in medio cœli, cum cognomine componunt, compositum denique Tauro aperiunt. Hic ille quæ non tripudia, quæ non præsetulit gaudia? Eteò quidem maiora, quò mage cœlo vicina. Vrsa enim cœlestis cum Virgine, Stemma est ILLVSTRISSIMI PALATINI. Quare magnam ille fouens animo lætitiam, maiorem vt conciperet, annuit Arcturo, vt illius monitu, imagines cœli inerrantes, Horizonte Posnaniensi conclusæ, nouos Vrsæ Przyiemscianæ deferant honores, acroamata adclament noua, nouos ingeminent triumphos. Non defuit Arctophylax consilio; facitque, vt quâ Emblematis, quâ Odis, quâ Carminibus alijs, tum vrsæ cum Virgine, tum Palatini nobilia adumbrantibus gesta, cœlestes effigies, Stemmati Przyiemsciano adtriumphent.

## ANDREAS GRVDZINSKI.

QVid video? Pimplæa cohors ruit agmine denso,
Densaq; Threicias per gramina dissipat ornos,
Et vitem strepero gemmantem ventilat Euro,
Thymbrææ passim dominæ quô quamq; viretam
Allicit, & dulci vocitat spiramine Corus,
Crura ferunt: partimq; rubos, partimq; silentes
Prædantur luços, vel per virgulta vagantur,
Palmitis aut virides flexus sine lege sequuntur;
Quo te Phœbe pedes? vel te Cytheræa propago?
Cui noua plectra moues Clio? colloque soluto,
Thespiacum suspendis ebur? cur linquitis arua
Pieridum, clarijs vocales fontibus vndas
Deseritisne Deæ? nunquid migrabitis Hæmi,
Seu bifidi collis de vertice? barbita plectris
Eccur instruitis? Tethys Crebrenidos vndis
Abluitur nunquid rursum? vel pollice somnum
Detergens Rusina, choros per prata Caistri
Ingeminat? Croceos vel iam turbata capillos,
Mollibus assurgit stratis, fratremq; poposcit
In Choreas Daphne, num deniq; spicula Faunis
Intendens Pomona furit, vel rore maritat
Glebas, Oceani surgens de gurgite Titan.
Quo properas vultu petulans Elegia corusco?
 Nosco diem, causam didici. De fonte Caballi
Infundas Limphas cui, quæris, tempora lauro
Siue cui obducas Clariâ, myrthoque recenti,
Entheus vt rapiat vatem furor, iraq; præceps
In Carmen trudat. Vires in Carmina confer
Phœbe mihi, quamuis nondum trieteride plena
Vbera, Cecropiæ suxi manantia lacte,
Vixq; semel licuit Cannam tetigisse Cythæri.
Vrsa super Cyclum geminat Przyiemscia plausus,
Posniacam quando ingreditur Przyiemscius vrbem,
Atque Ariadnæas vrget Syringe Sorores.
Proluę me paterâ Cliûs, cyathoq; Thaliæ
Vt tantos fælix plausus euoluere possim.
 Iam niueis Titan biiugis inuectus Olympo,
Purpureo frænans loro, per colla veredos,
Proijciensq; vagas. per Thespia prata, sagittas,
Purpureæ lucis, seruabat februa Claustra,

Iamq;

Iamq; diem amisit Mensis decimam, atq; secundam,
Cum de lege polis affixus, nobilis arcu,
Arctophylax torsit vultus in culmina claræ
Varsauiæ, flexitq; oculos super ardua montis
Culmina, quæ gestant humeris Palatia Regis
Incrustata auro Phario, Lybicoq; corusca
Marmore, splendorem fundentia sponte Smaragdi,
Maximus hic solio fultus magnaq; verendus
Maiestate sedet Princeps, fulgentia lucent
Sceptra situ, sublime caput Pyrrhenica cingit
Purpura, stant circum proceres, dominumq; fatentur,
Pars ostro depicta nitet, pars ignea Cocco,
Pars autem refugos, gestans à fronte capillos,
In cirrum detorquebat, Croceoq; superba
Murice, vincebat Phœbæ fulgore nitorem,
Ante oculos demum, solito de more, Senatus:
Inter quos, referens veterum decora alta parentum,
Virtutisq; decore nitens Przyiemscius Heros.
Hunc postquam aduertit Sismundus Tertius, inquit:
Te Palatinum posthac Posnania nôrit.
Audijt Arctophylax, tanto rumore superbus,
Limphato, velut in Pindo, Theumesia Mænas,
Rapta Deo, cum templa vocant, Pangæaq; cogit
Ornus, & à Lycijs auditus rupibus Euan,
Aëra per liquidum celeri pernicior Euro,
Fertur, & auratæ per amica silentia noctis,
Posniacum petit horrizontem, & nobile clima:
Iamq; procul, terras obliquo sidere tangens,
Tithoni, splendens aurora, cubile reliquit,
Purpureoq; diem, lucis Deus, ore vehebat,
Posniacas quando, pernix peruenit, in oras
Arctophylax, cernit cœlestia signa coacta
In turmas, aliquid tacito sub pectore secum
Voluere: non aliter quàm cùm per prata Lycei,
Aut per agros Pelopis, pallans exercitus Inus
Pabula depascens Cythisi, si forte gregis dux,
Dux gregis ipse caper, nares contingat Ocymo,
Mox stupet omne pecus, tollensq; ad sydera mentum,
Non prius, ereptam reuocat formidine mentem,
Quam dux sternutans, impactam eiectet Ocymum,
Sic cœli effigies, multum stupûere silentes,
Conuersæq; inter se, oculos ac ora tenebant:

Hîc pluuias Hyades, tempestatemq; minantur,
Perseus hic dumeta iugis vernantia Græcis
Pegaseo surgens, super ardua tesqua, volatu,
Naufraga spumantis transmittit littora ponti,
Hic Dircæa tegit vultu nimbosus Orion
Mænia, quâ gracili Cephisus labitur vndâ,
Vberaq; Alcidæ, fera Caspia, præbuit olim,
Illic Gnosiaco, Nabatheum, certius ictu
Telum Sarmaticos, tentat penetrare Triones;
Et Delphin vastos despumat pectore fluctus,
Garrituq; Chelys Tyrio, Rhodopæa susurrat:
Deniq; cum Coruo, volucris Ledæa, sub orno,
Vocibus alternis modulatur nobile carmen,
Eridanusq; pater, sinuoso vortice currens
Thessaliam, populi cum fænore, spumat arenam;
Sirius insequitur leporem, sequiturque leonem,
Et Phäëtontiadum deplorans fata sororum
Cassiopæa gemit: seruans in pectore vulnus
Regia auis, Casio meditatur ferre Tonanti,
Forte laboratas Phlegræa incude sarissas,
Ceycam, demum Crater solatur Iachi,
Edonasq; Cepheûs non dedignatus arenas,
Ismarios deflens casus, & fata, stupescit.
Non tulit hanc speciem, cœlestibus obuius Arcas
Signis, at spargens multam super æthera vocem,
Exclamat: quisnam subitò stupor occupat artus?
Nunquid supremum portat natura Bóötem?
Extremumq; diem, mundo qui suscitet ignes;
Deposuit nunquid iustas Astræa sagittas?
Quêis homines, proprio prohibebat viuere voto?
Pectora continuò, longis hebetata periclis
Ponite, solicito secludite corde dolorem
Conceptum, nec enim fas est marcescere Diuis.
Et quia Posniacas, Lybicus sibi vendicat oras
Seruandas Taurus, defendendosq; feraces
Horrizontis agros, (Phrygiæ de lege Mathesis,)
Collectis animis, imoq; à corde boatum
Educens, liquidum clamoribus aëra complet.

TAVRVS

# TAVRVS

ALLEGORICÔS CONQVERITVR, ABesse Palatinum Posnaniensem, eumq; vt aperiat Arctu-rus obnixè postulat.

RAra iam, prono rutilant Olympi,
Astra trione,
Nox vagos cœlo, Dea sospitatrix
Contrahit ignes;
Luce, stellarum, renuit notare
Bosphorus, agmen;
Sed nec imprægnat, croceo bicornem
Lumine Phœben;
Nec die semper rutilà, serenum
Prospicit Oetam:
Non rubent Thracum, Thasijs vireta
Inclyta baccis:
Liber, in campis Phrygiis, oberrat
Fronte iuuencus
Non adhuc ruptâ, grege derelicto
Pabula carpit;
Hædus, Hetruscâ petulans in herba,
Sponte vagatur:
Pendet è quercu, geminans querelas
Thessala pellex.
Hunc fauor plebis rapit, & sub astra
Aurea tollit;
Hunc fori clamor iuuat, & iocosa
Curiæ imago;
Verba damnatis iuuat hunc locare, &
Vendere linguam;
Sponte concedit populus Deabus,
Stamina vitæ;
Quod libet, Mæræ faciunt, in orbis
Climate vasti;
Sed quid ambages, tenebrasque Sphyngis,
Mens mea torques?
Quod premis corde in tacito, solutis
Prome loquelis

Quis Palatinus, refer ô Boote
　　　　Posniacæ vrbis.
Hunc chorus noster, celebrisque luce
　　　　Cœtus olympi,
Hunc vocat votis: precibus fatigat,
　　　　Ora Tonantis,
Vt citus nostros subeat Triones,
　　　　Tandem aliquando.
Quid moras nectis? quis ager moratur?
　　　　Aut plaga regni?
Phœbe, si cernis, per Afros vagantem,
　　　　Vel iuga Pindi,
Præmone: ad nostræ veniat, precamur,
　　　　Mænia Posnæ.
Aut quis est saltem? mihi pande; iuncto
　　　　Grammate certo.
Maior haud posthac, dolor intumescens,
　　　　Intima rodet.

## LVCAS MIELZYNSKI.

ATtonitus bibit aure sonos Arcturus, Hybræo
A Tauro fusos: vultu simulare dolorem
Amplius haud poterat Tauri, roseæq; cateruæ,
Risus enim subito depingens ora modestus,
Prodidit Arcturi mentem, pectusq; reclusit.
Protinus Erigone perlustrans omnia visu,
Illius niueo, primum stetit ignis in ore
Idalius, Lydioq; nitens coma gratior auro
Enituit, qualis Sindo venator Apollo
Cum venit, & Thasijs commutat barbita peltis:
Deinde rubor, sensim decrescens, ora resoluit,
Audacemq; facit, quæ muta repagula soluat
Arcadis, vt possit perplexam ediscere mentem.
Talibus alloquitur natum Iouis. Auree custos
Sidonij iubaris, comes ô fidissime currus,
Sis felix, nostrumq; leues aliquando laborem,
Multa tibi ante aras, nostris cadet hostia dextris.
Erigonæ cessit precibus, lacrymisq; Bootes
Os aperit; trabeata silent dicente Boote
Agmina stellarum, duplicem compressit vterq;
　　　　　　　　　　　　　　　　Latratum

Latratum canis, & compresso fonte resedit
Eridanus, tacitis chelis obmutuit hydra,
Atq; Ariadneæ requierunt murmura turbæ.
Delphica, nō aliter, quàm cùm Berecynthia mater,
Idalium circa, iubet exultare Tonantem,
Curetas pauidos, illi Trachinia plaudunt
Orgya, ne magnis vlulet vagitibus Ida,
Bassaridumq; choros, vt paruũ Penthea Thyrsis
Diijciant, in clamores, clamoribus vrget.
Ast vbi puniceo, micuerunt fulgura cœlo,
Et varias ignis, nigro dedit aëre, flammas,
Euchica turba fugit, tacitoq; silentia seruat
Pectore, pars rapti munimine, cespitis audax.
Oebalios inter lucos, amnesq; Carysti,
Ambiguos ducit supra tentoria, somnos,
Pars petit Oeteos montes, Siculasq; paludes,
Nec vultus effert, donec caput efferat alto
Sol cœlo, amissam p'uuiâ lucemq; reducat:
Sic auide stellæ siluêre, loquente Boote.

# AENIGMA

## PROPOSITVM CONSTELLATIONIBVS Horizontis Posnaiaci ab Arctophylace de Palatino Posnaniensi soluendum.

HVc Dircæa cohors, huc huc rue præpete cursu,
Huc huc ferte pedes, Theia castra sacros.
Quo vestita genas Thyrtæo baccare Mænas?
Quo Bromio Thyas rapta furore ruis?
Huc tandem concede, citis pernicior Euris,
Ocyus huc rutilo sydera plena, Deo.
Quidquid habet, Dryadum Thasos, aut vndosa Carystos,
Nympharumque palus Caspia, quicquid alit.
Pegasidum quicquid, Pangæo Helicone, moratur,
Stellarum quicquid Parrhasis vrsa regit.
Quæ loquar, excipiant arrectis auribus: audi
Phœbe vago, roseam qui regis axe diem.
Hoc Palatino Posnania clara nitebit,
Cuius auo, celebris, regia virga stetit.

Romulei, cuius patrem, vidêre Quirites,
Vidit Auentini, Martia turba iugi
Inclyta cui virtus teneris arrisit ab annis,
Quem pietas aluit, nutrijt alma fides.
Quem Pagasæa sacro perfudit fonte Minerua,
Pieridum, docuit plectra mouere chorus.
Ipse cui laurum Thymbræûs concessit Apollo,
Est cui temperies, consiliumq; comes,
Hoc Palatino Posnania clara nitebit,
Quem sequitur celebris, nobilitatis honos.
Talasi ritus quem consecrauit amori,
Czarnkouio strophio, quemq; ligauit Hymē.
Non satis est? Ergò cuius pro stemmate fulgens,
Vrsam Theumesiam, calce virago premit.
Hoc Palatino Posnania clara nitebit.
Sat feci: dubiam soluito Taure plicam,
Vel si impar tanto, es soluendo, Taure labori,
Mantam Saturnum consule, siue Iouem.
Me vocat Hyblæus campus, repetuntq; Sicanæ
Villæ, tu nodum, Taure resolue datum.

## ANDREAS SZOŁDRSKI.

FInijt, & relegens cursum quater, atq; recursum,
Puniceum pallâ vultum subtexuit atrâ.
Qualis Myreniæ validis sub rupibus Albæ,
Naiades Oetæas inter Lucina; superba
Seu pharetrâ Pallas, Stygij seu sponsa Dynastæ,
Exercet choreas, postquam Massilia buxus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Ismara pulsat
Terga manu, pariterq; leuans, pariterq; reponens
Rhomphæas, geminâsq; gradū, pede pulsat Hydaspen,
Atq; vbi sat salijt, cœcâ caligine vultum
Obnubens, tacitò defert vestigia in Hæmum.
Interea Taurus ramosis cornibus audax,
Solicitas voluens imo sub pectore curas,
Solueret vt mæstam mentem, tristemq; dolorem
Poneret, infixum cordis penetralibus imis,
Cœli adit Errones, (Græci dixêre Planetas,)
Atq; ait: ô rosei nitidissima lumina cœli,
Legibus æternis, vestro sub iure tenentur
Omnia, quæ seriem fatorum euoluere tentant,

Vos

Vos licitis, longos pensis euoluitis, annos,
Vos finem cunctis præbetis, semina vitæ,
Nascendiq; vices, alterna morte ligatis,
Quicquid vbiq; latet, vestrũ est cognoscere; quicquid
Materies gignit, vel quicquid in orbe moratur,
Vobis debetur, vestris ambagibus æuum
Stat, vestro nutu lapsantia sæcula currunt.
Tu Titan, cani qui tempora diuidis æui,
Alternasq; dies, radijsq; tepentibus astra
Impraegnas, certisq; horis statione reponis,
Tuq; soror Phœbi, calidis quæ frigida misces
Et tu, qui rapidos iacularis nubibus ignes,
Tuq; Iouis genitor, paret cui zona niualis,
Cum Mauorte fero, simul & cum Cypride, rerũ
Semina, quæ fæcunda regit, tu deniq; Ponti
Arbiter immensi Cylleni, Soluite nodum
Arcadis, implicitas euoluite grammate tricas.
Dixit, & extemplo vates Erycina, capillis
Post terga iniectis, vultum demissa modestum
Grammatici fundo pyrgi scrutatur in imo
Grãmata, tum promẽs, de Pyrgo sigma profundo
Dicitur, S. Latijs, campo deponit aperto.
Est locus in medio cœli, porrectus in oras
Gangeticas dorso, memorant Aphesanta coloni
Argolici, Siculis diuinus gentibus olim.
Quo referunt celeri quodam venisse volatu
Progeniem Danaes, victa fusaq; Medusa,
Tres cubitos longus, latus minus, atq; profundus.
Hic Latium, S. vicibus repetitum, quinq; reponit
In vultu, costis, suris, plantisq; supinis.
Tum costis interponit, surisq; Caninam,
Literam (R. Aeneadis hæc dicitur) atq; reponẽs,
Alloquitur tacitis verbis, & fausta precatur.

## V E N V S

LITERAM R ET S NOMINI, COGNOminiq; Palatini interponit, laudesq; illius occinit.

I Felici litera cursu,
Fortunatis auibus curre;

C Cursum

Curſum ſuperi celerem dirigant.
Qui legitimis facibus comples
Terram, & noctes auſpice dextera
Diſcutis, auro tempora vinctus
Adſis; gemini præuia temporis
Tecum veniat, ſtella coruſca,
Atq; in nomen Przyiemſciadum
Inferte almum, duplicem literam.
Nomen multis oris celebre.
Et quâ roſeus curru Titan,
Repetit cælum, & quâ Phaëtontias
Veſtita caput baccare Tyrio
Graditur, Bromio plena tumore,
Matres auidæ laudis clariæ,
Quas mons Helicon, vel iuga Pindi
Retinent, plectris aptate lyras;
Et quas recreat Theſſalius latex,
Alpheûſq; ſacer fluminibus lauat;
Quæ belligeris fædera gentibus
Ponitis: Athicas ſumite Cytaras.
Proles Siculi fulminis aurea,
Aptas rabidis quæ iuga tigribus,
Nec non tripodas digito qui moues
Frater, Lybicæ Virginis, inuide,
Inſtrue reſonis barbita filis,
Przyiemſciadum nomen celebra,
Nomen Cytaris dignum Heliconijs.
Poſnaniacam Palatinus
Vrbem ingreditur; pede felici
Vtinam: ſuperis intret dextris;
Concordi animo penſa reuoluant
Mæræ: immeritos annis crines,
In Libitinæ haud tumulo condant,
Sed comes adſit fortuna fauens,
Excita iugo collis Rhamij.

## MATTHIAS CIELECKI.

FInijt: & ſublimis abit ceu Parthico arundo
Gnoſia miſſa ruit cornu ſuper aëra; preſſit
Illius plantas ſuccedens arbiter vndæ
Mercurius, promens imo duo grammata pyrgo,
Vnum

Vnum Romanis ſignando in milite viuo
Immortale, lupis aliud ſolenne Lycæis,
In depaſcendo grege, Maſsiloq; chioque:
Affixit capiti primum, ventriq; ſecundum
Appoſuit, diſtanti tantum à pectore palmo;
Talia deìn fatus, ſuppreſſa voce ſuſurrans.

## MERCVRIVS

LITERAM T ET V NOMINI PALATI-
ni inſerit, meritaq; commemorat illius.

HVc huc è latebris exere te ocyus?
Ecquid Theſſalicas gramma trahis moras?
Quiſnam Graiugenum te locus auocat?
Phtie nobilibus plena, ſodalibus
Facundis melior vel retinet viris
Trachys; cur refugis? cur vlulatibus
Reſpondes? domitrix forte vetat maris?
V. procede gradu præcipiti; amplius,
I Przyiemſciadæ nobile & inclytum
Nomen Sarmaticis laudibus integra;
I. Felix celer i, nomine proſpero
Intrantiq; ſimul Poſniacas plagas,
Opta Neſtorei tempora ſæculi.
Seu te purpureâ detinet ilice
Gortine iuuenis, qui Cytaram moues
Seu Tricce ſterilis, ſiue rubis frequens
Træze, ſeu roſeo gramine prædita
Chalcis, Gnoſiacum deſere Theſſalon,
Et noſtros in agros, præcipiti pede,
Limphatoq; gradu labere, & aureum
Docti montis ebur, percute pollice,
Vt lætæ veniant literulæ meæ
In Przyiemſciadæ nomen: vt occinant
Palatino humiles, non humili modo
Muſæ Cecropiæ Palladi deditæ.

*VLADISLAVS MANIECKI.*

DIxerat; Aſsyrias pigro repetijtq; paludes
Curſu, vbi Piſæis quondam celebrata Methone

Carminibus, centum illi aras centumq; Sabæis
Nobilitata focis, posuit delubra cruenta;
Pone Iouis genitor, vestigia sacra secutus,
Quem pendens Graijs olim Peparetos in oris
Detinuit gracili, Pilij modulamine, plectri,
Auratâ primam, depromens literam, ab vrna
Deposuit, longo geminatam in pectore vocis,
Lætitiamq; premens in pectore talia fatus.

# SATVRNVS

## LITERAM ALPHABETI PRIMAM SCIlicet A Palatini nomini adaptat, gestisq; ipsius carmen accomodat.

EVre Getulæ fluuijs inique
Aeoli nunquam monito acquiescens.
Thracios vexans, rigidosq; Parthos,
Inuido Colchis Aquilone peior,
Cuius ad murmur volucrum Phalāges,
Arborum turmæ, comitante syluâ,
Et maris vastæ Gethici procellæ
Exerunt iras, rabiemq; sæuæ
Induunt Circes; rabidum furorem
Pone, clementi Zephyro adsusurra;
Litera vt passu, (caput Alphabeti)
Liberè currat, per aperta cœli
Prata, per tristes Hyadum cateruas,
Perq; turbatas Dryadum cohortes,
In Palatini meritis celebre
Nomen, vt felix iter adprecetur
Ingredienti.
Hebre quot Thracum retines carinas
An choris stantes leuibus, quot vndis
Aureas voluis, niueis arenas,
Quot comas syluæ, Phrygium secutæ
Orpheum gestant, quot apes Metymna
Nutrit, & sacris redimita fallax
Quercubus Dirce, quot Athos capellas,
Quot maris guttas videt Hesperugo,

Tot

Tot Palatini vigeat per orbem
Laudibus nomen, tot ei camænæ
Augeant cantus, quibus in Caici
Rupibus, multùm resonans iocosa
Reddat imago.

## GEORGIVS RADOSZEWSKI.

SIc ait, & tardas suspendens poplite plantas,
Oleni raris habitatę culmina tectis
Intrat, vbi exesi montis spatiosus in antro,
Centaurus, puerum nutriuit lacte, ferumq;
Mauortis bellum recinens, acuebat in illo
Sanguineas iras, animumq; parabat atrocem;
Illi subsequitur passu non tarda, bicornis
Virgo, soror Phœbi, gelidi materq; cerebri
Accipiensq; cauâ præcox duo grammata cistâ
N. Latium & iuxta Saturni grammia reponit,
Præterea P locans capite in cognominis, inquit.

# L V N A.

## N ET P NOMINI ET COGNOMINI CVM laude Palatini inserit.

NOctes non vbi condit
Titan; siue dies leuat.
Riuis non vbi missis,
Phœbo stante sub ariete,
Albus tabuit Hæmus.
Pellit non vbi Vistula
Fluctus, ante natantes
Vltrò Sauromatum rates,
Proras aut vbi Hidaspes
Thracum corripit obuias.
Ast innobile nomen,
Doctæ literæ abibitis.
Cursus ergo cauete,
Quos, loris agitans equos,
Imberbis puer olim,
Metæ non Patriæ memor

D Fecit.

Fecit. Currite notis
Nostræ Palladi semitis,
Non vos docta retardent
Plectris Heliadum agmina,
Orpheûs non remoretur
Vocali genitus Dea
Chordis, quêis iuga Pindi
Fæcundi ad numerum vocat,
In saltus quibus altas
Siluas, atq; Tygres trahit,
Recto tramite currite,
In nomen celebrandum,
Musarum celebri lyra,
Doctis atq; monaulis.

## GEORGIVS KACZKOWSKI.

ET iam Thessalicæ roseâ sine fronte Napææ,
In iuga Menalij montis, collesq; Metymnæ
Vitiferæ, doctâ Dyctinnam voce vocabant,
Propterea rigido concessit lampada Marti,
Qui modo Barbarico tinctum deterserat ensem
Sanguine, Bistonia victor de gente triumphans
Venerat: hic vrna accipiens, I, Gramma Latinum
Bisq; illud geminans, semel in cognominis aluo,
Nominis in medio semel, & penetralibus imis,
Luctantem retinens vocem, sic ora resoluit.

## MARS.

### I. PALATINVM PRÆDICANS, IN COgnomen nomenq; illius ingerit.

SI cui Mauors rigidus veruto
Hispido fauit, fauet, & fauebit,
Przyiemscio Posnaniæ
Palatino fauet:
Hercules natas Aquilone turmas
Sustulit, Glauco genitum necauit
Solitum figuras sumere,
In ripis Phasidos,

Præstitit

Præstitit tantum, duce quo? cruento
Marte, Mauortis mage digna dextris
Przyiemscius Posnaniæ
Palatinus facit.
Setiger grandi violentus ictu
Strauit Antæum, styga, Tartarumq;
Adijt, trucemq; Cerberum
Offa compescuit,
Dexteris cuius? scopulos vagantes
Et tot immensi pelagi labores
Audace mente pertulit
Aiax, quo numine?
Marte. Serpentem Lybicis arenis
Abditum pressit pede non represso
Ponti puer, cuius nam ope?
An non Mauortia?
Ergo non tardo pede curre Gramma,
Nomen vt gestis, meritisq; clarum
Stanislai Przyiemscij
Possis componere.
Curre Gradiui, super astra notas
Et super ponti rapidas procellas,
Vires, in omni tempore
Illi sponde affore.

## ANDREAS WYLEZINSKI.

Dixerat, inq; vagos fertur mucrone Gelonos
Recluso, Tygridum frenans temone iugatum
Protelum, magnoq; vocans clamore Mycenas,
Perfurit,& curru Lybicas euertit arenas.
Interea Titan patulas emensus Olympi
Ambages, patet ad rigidos quâ semita Parthos,
Quâq; Dioneis aperitur Porta Dynastis,
Denique qua roseis ornata aurora capillis,
Euoluit solitos discursus orbe diurno,
Flammiferis carris, per Athon de more vagatus
Adfuit, ac liquidum ponens in nomine Gramma
L, fratremq; eius locat in cognomine magnum
M. cui coniungit paruo discrimine Kappa
Sic ait, argutas seruans in corde loquelas,

# SOL.

## PALATINVM EFFERENS, NOMINI cognominiq; L. M. K. includit.

FAta quæ? veſtros comitantur ortus
Litteræ? quantùm religata ab alno
Sors fauet vobis? igitur venite
Præpete curſu.
Surgat vt nomen, meritis, Przyemski
Nobile, & tandem datus explicetur
Nodus, vt Taurum labor haud fatiget
Improbus vltrà.
Diue quem linguæ Niobæa proles
Vindicem ſenſit, Danaumque princeps,
Et venenatis rigidus ſagittis
Victor amoris.
Ipſe tu tantis Citharâ ſonorâ
Laudibus compar, tremulo vel arcu
In leui ſcriptas iaculo, per oras
Mitte iacentes,
Seu ſuper cœli patulos Triones,
Aut vias Lunæ celeres bicornis,
Aut ſuper Pindum, & Dominæ ſuperbos
Cypridos orbes.
Scribe Przyiemski in patriam lareſq;
Patrios ardentem animum, pioque
Sauciam, Sacræ fidei tenacem
Vulnere mentem.

*MICHAEL WYRZEYSKI.*

TEmpus erat, quo prima quies ſuadebat opacas
Phœbo intrare vmbras, liquidoque immergere Glauco
Purpureum vultum, ac celerem componere currum.
Propterea Diuum patri qui fulmine terret
Lauriferos montes Lybiæ, Campoſque iacentes,
Conceſſit reliquam Pyrgi curam: ille ſuperbus
Sceptriferis dextris, circumueſtitus abolla
Purpurea, excutiens Pyrgum deprompſit hiantem
Litterram E, tum lætus medio cognominis aluo
Inſeruit, tacita ſecum ſic mente locutus.

IVPITER

# IVPITER.

## LAVDAT PALATINVM, ET NECESSArium E cognomini illius addit.

CÆli sparsa cito sidera cardine,
Et cursus, rapio, flammiferos rotis;
Et cur tanta mihi cura volubiles
Torquere cursus celsi Olympi?
Vt veniat modò bruma sęua?
Nudet ramiferis arboribus nemus,
Arbustis redeant nunc Heliconiæ
Vmbræ, Marmaricæ nunc pecudis coquat
Vultus, calore candicanti
Attalicæ Cereris maniplos.
En Przyiemsciadum nobile laudibus,
Et virtute decus, pergama Posnica
Felix ingreditur, numine prospero,
Titane & annuente cœlo,
Et comite Actiaco Toparcha.
Cui plausus geminant compita Posnica,
Festiuos iterant cui sine Chalcidos
Raucis murmuribus, Graiugenum Choros?
Lybicasq; cum cantu Choreas
Et viduæ Danaes Myingas?
Inter tot Choreas, muta silentia
An tu sola premes? I mea litera
Velox, Accrysijs credita flatibus,
I nomen integra, Deabus
Vt celebre esse queat Caicis.

*IACOBVS KOŁACZKOWSKI.*

SIc ait, & Cœlo vultus abscondit in alto,
Et quia Trachino pridem est deuota draconi
Littera Pythagoræ, cum Zetate, lege Mathesis,
In quo clara solet lumen subducere lampas
Dyctinnæ, nigraq; genas velare lacernâ.
Propterea Pyrgo promens cum Zetate duplex
Ypsilon, in collo clari cognominis ipso,
Ac in fine locat tacitò, dêhinc talia dixit.

# D R A C O.

QVANDOQVIDEM DECRETIS ASTROlogorum Draco T & Z præsidium sibi vendicat, Palatini cognomini illa, cum laude includit.

ESte Venena procul, Scythiæ procul anguis ab agris
Posniacis. pellax abeat, torrentis alumnus,
Sidoniæ cuius pecudes, Phrygiæq; bidentes
Tabum tergore sentiunt.
Non tentet dextras Ophiuchus soluere strictas,
Limphatumq; herbis Tetaresi fundere virus,
Aut Pytthon celebris Phœbi, Alcidæq; sagittis,
Hydrâ cum Phlegetontica.
Non serpens propria reparatus cæde, veneno
Posniacas Lybico, perfundere tentet arenas.
Sopitusque mero Circes Draco, Colchidos herbis.
Aut liuentibus æsculis
Aëra non tentet tabo fædare cruento,
Denique serpentum nullus descendat in agros
Posniacos, generat saxis quos inuius Errix,
Aut albus niue Caucasus.
Aut quorum inficiunt Hircani tela cruore,
Pugnaces Medi pharetra, Partiq; sagittis
Horribiles, gelido populiq; sub axe legentes
Succos arboris aureæ.
Vos, vos, litterulæ, pestem hanc auertite vestris
Auxilijs, Palatinus præcelsa subintrat
Mænia Posniados, tuto pede: viuat in annos
Vestro numine Nestoris.
Ergo moras longas trahitis? per saxa, per ignes,
Currite, Bætorum non amplius arua fouete
Præsidio vestro, in nomen Przyiemscij abite,
Vt toto niteat polo.

*STEPHANVS TRABCZINSKI.*

FIniit: interea radios iaculatus Olympo,
Auricomus Titan, aperit fulgore corusco
Cognomen Palatini, nomenque Lymæo
Tauro, qui lætos voluens in pectore plausus

Altius

Altius exclamat totoq; auditur Olympo.
POSNA PALATINVM CELEBRIS PRZYIEMSCIVM HABEBIT.
Audijt Arctophylax vocem hanc, Tauroq; locutus.
Callidus ambages soluisti Taure plicatas,
Ac simul inflectens oculos per aperta polorum
Compita, quæ potuit puppâ comprendere aperta,
Quæ licuit metiri oculis, cilijsque solutis,
Aurea stellarum sparsa agmina circumspexit:
Atque ait; O gemmæ cœli, Horrizontis amatæ
Posniaci effigies, vestri est pars magna laboris
Hic honor est vester, vestræ quem detulit vrsæ
Ista dies, Phrygia cum Virgine stante in auito
Stēmate Przyiemski, vestra hæc, (mihi credite) vestra
Res agitur. Quare doctas iterate Choreas
Et plausus geminate Chios cantuq; monauli
Dulciloquo laudes vrsæ, celebrate per orbem.
Vix ea finiuit, stellæ velut aggere rupto
Limpharum fluctus voluuntur, & vnus eorum
Alterius frontem prorsus præuertere tentat
Compressus fluctu quarto, quartusq; sequenti
Impulsus, pontum summa vi fertur in altum
Præcipitiq; ruens lapsu, rapit obuia saxa,
Raptaque, per segetes, per agros, deuoluit in æquor,
Deijcit in fossas prærupto vertice glebas;
Sic Chorus Aetherei Campi toto agmine fertur
Arcturi monitis in plausus atque Choreas.
Sirius hic lepori præbet vicina pauenti
Pectora, concordes veniunt ad mutua damæ
Oscula, Dictæas Getico Stymphalidas arcu
Non necat Alcides, Erymanthi haud tollit atrocem
Aprum, qui siluas viduabat dentibus almas,
Non plorant Hyades, verum Gelasinus in ore
Illarum residens, petulanti splene Cachinnos
Eructare iubet: coruo nimbosus Orion
Et Cygno iunctus vocali fædere, cancrum
Tardigradum trahit in Choreas Cantusq; suaues.
Denique Posniacus quot sidera pascit Horizon,
Omnia festiuos vrsæ, cum Virgine plausus
Accelerant deferre: & primus Perseus vrsæ,
Acclamauit Io: pôst Gorgonis ægida torquens
Et crispans rigidum digito funale sinistro
Scriptam sidereo suspendit in axe tabellam,

 TRIVM.

# TRIVMPHVS CONSTELLATIONVM AMPHIBIARVM HORIZONTIS *POSNANIENSIS.*

## P E R S E V S.

E M B L E M A.

*Affigit, in quo Bellerophon chimæram enecat.*

QVid video? monſtrum vaſtos deforme per agros
Procumbit, peperit quod maleſida Coryx
Aut ceruſſatis percuſſa Ceraunia flammis
Partubus alternis euomuere ſinu,
Terribile aſpectu, nam prima parte leæna
Parte draco eſt rigidus, parte capella ferox,
Incruſtatus eques gemmis, Lybiciſq; ſmaragdis
Per prata Arcadiæ pulueruIenta ruit
Quo ſonipes tendis? quo tu ſcutate ſtratege
An rurſum Troiæ pergama celſa ruunt?
Suſpicor, & monſtrū hoc certò aſſequor eſſe chimęram
Ac equitem celerem Bellerophonta ſcio
Perge cruentatam miles deuince chimæram
Dextera Vulcanio demetat enſe caput
Inuide quid liues? premis alto corde dolorem
Diſcolor ach multùm purpurat ora rubor.
Vrſa Przyemſciadum vexat, decorata triumpho?
Illius hoc pridem debuit eſſe decus.
Bellerophonta vides? victam cerniſne chimæram
Si liues, tuus eſt, eſt tuus iſte typus.

*VLADISLAVS OPALINSKI.*

Expedijt, quatiensq; facem super Aegida torsit
Lumina, Gorgoneosq; aduertit in ore capillos;
Extemplo rubeus pauor impulit ora pudica,
Et sensim pectus tumidas exarsit in iras.
Interea frontem roseis redimita Corymbis
Andromede, tacitò seruans vestigia Persej.
Virginis Erigonæ metris referebat honores,
Quos illi peperit gestis, Przyiemscius Heros,
Quos Palatini laudes, quos inclita facta
Przyiemiæ gentis, multos peperêre per annos.

# ANDROMEDA.

QVantum distet ab Hectore
Aiax in Phrygiâ non timidus mori
Grandi euoluere Carmine.
Et quantum ducibus Dardanijs duces
Græcorum sacrum ad Ilium
Palmam præripiant, dicere tibia
Cliûs, aut Terebinticos
Enarrare animos, aut fera prælia
Æneæ super æquora
Camporum Italiæ, seu pretio cadum
Vini, quo Camarinij
Mercetur Bromius, siue quis ignibus
Vndas temperet æquoris,
Quo suadente domum, Thessalius puer
Oblitus, fugiat, Patris,
Et siluas habitet vulnere saucius,
Dicat cui celebris dies
Non illuxit adhuc, virginis inclitæ
Przyiemski, cui nobilis
Ingressus patulas Posniados plagas
Nondum cognitus extitit.
Phœbe da Citharæ garrula barbita
Plectrum da propere nouum.
Da noctis medium, si placet integram
Da, toto spatio canam
Laudes egregias, facta Przyemscij,
Ipsi nota Panoplio.
Extremisq; Chloës littoribus vagæ.

Musas non amo dispares,
Concordi veniant ergo animo Deæ
In laudesq; ruant suis
Filis virgineas, sit satur illius
Laudum, Pannonius Trion,
Et felix Nabathæ teliferi plaga.
Dementem strepitum, Lycus
Correptus celebri laude coërceat,
Parcentes ego dexteras
Odi. Sparge rosas Flora super polos,
Istis semper honoribus
Splendens, digna fuit, Virgo Przyemscij.

# EPIGRAMMA PRZYEMSCIANÆ VIRGINI A VIRGINE AFFIXVM,

## & à Felice Włosinowski lectum.

IN Clypeo Graij spatians Phorcinis Atridæ
Roboris illius symbola certa dabat.
Cecropijs Pallas quod amata fuisset Athenis
In peltæ bullis noctua picta fuit.
Przyiemski clarus quod marte & Pallade viuat,
Erigonam virtus nobile stemma dedit.
Præmia non poterat meritis magis apta dedisse,
Quàm quibus in patriam notificatur amor.

## *PAVLVS GEMBICKI.*

DIxerat, & relegens cursus in prata Caici
Conuertit roseos oculos, flexitq; decorum
In Campos Lybiæ vultum, ripasq; Caistri.
Ast Hyadum non iam ploratibus vda decoris
Turba, sed ingenuo vultum perfusa rubore
Adfuit, & primo multùm mirata beatam
Vrsæ fortunam, ~~vocem~~ faciem demissa modestam,
Purpureasq; genas depingens rore sereno,
Vt pingit surgens teneras aurora cupressos,
Aut Phœbea rosas lampas, concessit eunti.

Gnossiaco serto cœlum, quod talia scripsit,
Affixitque super currum, gelidumq; trionem.

# GNOSSIACA CORONA.

## EMBLEMA

*Ponit, in quo Athenæ aulæata Alcibiadem reducem lætæ excipiunt.*

CVi cui Cecropides trabeatas sternis abollas
Supponis cuinam nobile Syrma tuum?
Grata Panomphæo muros cur quercus opacat,
Perq; domos, abies cur caput alta, leuat?
Cur passim frondet, tumulos tectura Cupressus,
Præscia venturi cur premit alnus humum?
Alcibîdes forsan littus tenet æquoris alti,
Et maris in ripis anchora iacta stetit?
Iam scio quid fiat? quis tanti causa triumphi?
Cuiué parat Posnis tanta trophæa scio.
Vrsa Przyemsciadum gelidi super alta trionis
Culmina, cum Lybica virgine læta salit.
Cur? Palatinus crebra stipante caterua
Sauromatum ingreditur pergama Posna tua.
Euohe Vartenses Dominæ, liquidæq; sorores
Vicini & fontis cæsariata cohors
Ocyus auricomum caput effer gurgite puro
Przyiemski intranti feruida pande vias
Excipe grata virum tantum, nam nobile nomen
Ipsum, Przyiemski, te monet, vt facias.

### IOANNES OPALINSKI.

FInijt, inq; plagas oculos proiecit auitæ
Posniados, cernit per deuia prata vagantes
Sonipedes, patulo dimissis ore lupatis,
Miratur clari tantos Przyiemscij honores.
Erexit collum capitisque recanduit orbis,
Et leuis excussâ nituit torpedine ceruix,
Et iam noctis equos gratæ, Letheaque somnus
Lora regens, voluit suspenso sidera cursu.
Interea lætos deportans læta triumphos
Cassiopæa subit, vultu tacitoq; profatur.

# CASSIOPÆA.

NImpharum, & Dryadum, Faune, decus vetus,
Agros Posniacos, ruraque florea
Suspensis pedibus, cum Zephyro tere,
Ne forsan, Cereris munera, proteras,
Et terræ segetem auream.
In siluas abeas; Graiugenæ plagæ,
Aut vmbris rigidum, Thessaliæ nemus,
Aut lucos teneræ Bisthonios Deæ.
Aut in Tesqua Coi deuia iugeri,
Cum læto Dryadum Choro.
Illic matris adhuc lactifluę memor
Hędus, quem decies, vix soror aurei
Phœbi vidit, humi repere, saucius
Ad delubra cadat, terque tuam pede,
Si fas, tangat imaginem.
Te Syluane voco, te mea Carmina
P scunt, Posniacos vt venias citus
In Campos, Rhodias siue colis specus,
Occultis Phrygiæ siue iaces sacræ
Antris, mersus in otio.
Ludat Posniacis, omnę pecus plagis,
Ceu ludit, redeunt quando tibi sacræ
Nonæ, non iaceat festus in otio
Pagus, sed rigido vomere subrutus,
Promittat Sicula horrea
Inter lanigeras, Carniuorus lupus,
Non erret pecudes, liber vt exigat
Vectigal, rabidus Threicios petat
Agros, & rapidis dilaniet feras
Martis, fortibus vnguibus,
Hoc debes celebri nomine virgini,
Hoc debes superis, hocce Senatui
Stellarum niueo, denique nobili
Przyiemski, cui Posnaniacæ plagæ,
Mordens cura, Deûm, data
Iusto Consilio; solicitum exue
Ergo virgo animum, siue Przyemsciæ
Famæ cura tibi lætitiam eripit,
Seu Posnaniacæ solicitat plagæ,
Semper gloria nobilis.

VLADI-

## VLADISLAVS CZARNKOWSKI.

ABsoluit postquam, confert se in patria tecta,
In quibus horribiles suspensi rupe Gigantes,
Cælatæq; fores, medijsq; volantia monstra
Nubibus, & liquidum cingentibus æthera templis,
Consita vestitis turgebant æra columnis,
Subnixæq; iugis nituêre ingentibus ædes,
Naturam pollente manu spolijsque micabant
Arcus innumeri, paries trepidabat onustus
Attalicis gemmis Cygnus sermone loquaci
Non mutus, veniens resoni de littore Floræ,
Incipit, Erigonæ sic decantare triumphos.

## CYGNVS.

QVemnam Heroa lyris, vel Berecynthio
Cornu, Melpomene sumis, in æthera
Tollendum, & Cithara leui,
Tentas, ferre sub astra,
Et cuius recinet nomen in hispido
Echo colle manens, seu super ardua
Pindi compita candidi,
Nectens florea serta,
Illinc Threicium cum Chorea Orpheum
Ilex subsequitur, tardaq; Fraxinus,
Spumans Balsama cortice,
Et vitis sacra Baccho.
Illic arte suæ matris Hydaspicum
Littus detinuit, Bistonius pater.
Et Plectro vetuit sacro,
Istri currere flumen.
Quid tandem recines laudibus inclitis?
An patrem superum, qui regit aëra,
Et terram, & mare Caspium, &
Mundum temperat horis.
Forsan Palladios dicere cogitas
Cantus, aut Bromij fortia prælia,
Sæuis Tygribus Ismarj
Lucinam aut inimicam.
Dices Gnossiaci forte ducis Rhodon,

Aut Ledę pueros, nauita, quos timet
Obseruatq; fideliter,
Ducens per mare nauim,
Componas citharæ garrula barbita,
In laudesq; sacræ virginis exere,
Quæ pro stemmate splendicat,
In cœloque nitescit
Hæc est materies, Melpomene, tua,
Hæc Przyiemsciadum gloria postulat,
Virtus, nota per aëra
Lechi, poscit & orat
Ergo supplicibus tygribus impera,
Vt te Potniacos, ocyus adferant,
Ventis non remorantibus,
In campos, citharædam.

# EPIGRAMMA VIRGINI A CYGNO PRZYIEMSCIANÆ SCRIPTVM.

*& à NICOLAO KONARZEWSKI visum.*

CVm clypeos aliquis celeri Iouis alite pingit,
Digna Panomphæa facta patrauitque.
Aut cui Getulus currit per stemmata pardus,
Euasit similis viribus ille feræ.
Aut cui Ledæus depingit stemmata cygnus
Nonne suis factis dignus olore fuit?
Gestis Przyiemski cognoscere gesta Polone?
Stemma eius clarum est, qualia facta putas?

## *ALBERTVS LOPATECKI.*

INterea leporem captans, patulo ore fugacem,
Sirius assurgit; veluti sub matre cupressus
Inuida, & ingentes frondes quondamq; futuras
Promittit iam parua comas, vel fronde sub vna,
Ceu geminæ Pæstana rosæ per rura supinæ
Prosiliunt, niuea maturæ fronte phanetis,

Roribus

Roribus & vernis, saturatæ colla supinant:
Assurgensque, iubas ceruicis complicat hirtas,
Et pulchris resoluta implens latratibus ora
Incipit

# SIRIVS.

SIrium, quisnam populus tumore
Percitus vano, minime timere
Audeat, quænam plaga non fauillis
Arsit iniquis?
Cûi meus genti calor, aut paludi
Cnossiæ, aut cuinam Lybiæ pepercit?
Arsit, atque ardet Peparethos alto,
Igne perusta,
Fumat inuisus Bromio Canopus,
Fnmat erectis rigidus rubetis
Caulicus, gratus Dryadum choreis
Fumat Hymættus.
Cum tuis Posnæ resonant Triones
Laudibus multis, celeberrima vrsa,
Ergo te propter rabiem furoris
Exuam iniqui:
Ne meos propter rapidos calores,
Non frui possit sibi pace grata,
Siue torrentis patiatur ignis
Tela Przyemski.
Nec tuas, Posnis celebris, per oras
Sarmatum messes, cererisue aristas
Asperis, vram, rigidisque flammis
Eruam ab imo.
Sim Palatini decus, atque ab eius
Pendeam nutu, digitique motu,
Non obest stellis aliquando, Diuum
Obsequi amicis.

## EMBLEMA VRSÆ PRZY-IEMSCIANÆ A SIRIO DEPICTVM.

*In quo Troades supplices Mineruæ statuæ substernunt abollas.*

CRinibus Iliades paſsis ad crura Mineruæ,
Deponunt peplum, Theſſaliasq; togas.
Vt propius Dea res illorum cernere poſsit,
Aures æquęuas ſupplicibusq; daret.
Eſto non pedibus ſupponat Poſna Przyemski,
Tomentum, aut etiam nobile ſyrma Phrygum,
At mentes alacres, ciues, & pectora fida
Subijciunt: an non nobiliora ferunt?

### NICOLAVS GOSTYNSKI.

SIc fatus, Lybiæ in ſpeluncas ſponte receſsit.
Illius in ſpatium, curſum nimboſus Orion
Attulit, & veluti medios Regina Sicambros
In numerum gentis relegens, ſuper æthera fertur
Aut quando Semeles proles dilecta Tonanti
Dotali tentat cœlum ſignare corona
Et ſcrutans ædes Paphias Amathuntia Cypris
Mnemoſynes proli, tradit præcepta, Thaliæ;
Sic celeri velox curſu defertur Orion
Et tacito voluens in pectore verba, profatur.

## ORION.

QVo me Phœbe vocas pater
Quo me Muſa potens rapis
Plenum flatibus entheis,
Philtro quas agor in ſpecus,
Vel quæ trudor in auia
Velox quo tumidis ruo
Clius pectoribus? quæ peto climata
Aut quæ Biſtoniâ cogito fiſtulâ
Decantare maris fortia prælia?
Speluncis quibus aut Virginis audiar
Præco: concilio Iouis
Stellarumque palatijs
Inſerta Erigone inclitis
Factis virgo Przyemſcij
Inſignis, meritis tuis
Splendens & foris & domi,
Mens eſt non alijs dicere carmine
Dicta vnquam numeris facta recentia,

Miror

Miror cum tacito pectore cogito
Hæc mecum, haud aliter quam stupet Euius
Istri prospiciens aquas ,
Et Thracen niue candidam,
Ac Cyprum pede barbaro
Lustratam, & Rhodopę nemus,
Quod saltu petulans leui
Agmen Bassaridum quatit,
Altas æthereæ cum peteret domus
Partes ex specubus Tethyos aqueæ
Et cœli caperes ardua verticem
Tecum in Posniacum clima Przyemscius
Ascendit, sequitur ducem
Te virgo: benè sat benè,
Cum mentes superas homo
Mortalis sequitur duces.
Ergo cum fuerint Dei
Iussu rupta Przyemscij
Vitæ stamina, post plurima sæcula,
Illi tu præeas ad superas domos,
Illum cœlicolis insere nobilem
Et famâ celebrem, fac celebrem magis.

## *STEPHANVS WALEWSKI.*

FInijt,& pluuias despumans in iuga Tharsi
Adstitit Ædoniæ matri, Lybicæq; sorori,
Qualis in Eurotæ pratis Cytherea parenti
Adstat, cum thyrsis dant mutua prælia Bacchæ
Aut excita iugo Pharsalidos alma Camæna
Capronam distinguit acu, substringit amictus,
Illi subsequitur superi Iouis armiger ales
Fulmineas gestans flammas cum præpete cursu
Aduolat,& pansis liquidum super æthera pennis
Talibus alloquitur cœlestis Virginis ora.

## A Q V I L A.

LAudibus extollant alij chrysendeta Bacchi
Mænia siue Rhodi.
Aut Ephesi muros bimaris vel tecta Corynthi.
Ismariasque specus,

Aut Baccho Thebas insignes laude celebrent
Seu iuga sacra Deli,
Aut claros Phœbi Delphos, aut Thessala Tempe
Bistoniasque feras.
Sunt quibus est cordi canere almam Palladis vrbē
Carmine perpetuo,
Sunt quibus est amor intactam præponere myrtū
Frontibus atque genis,
Alter equis aptos celebrabit cantibus Argos,
Atque mycæna iuga.
Sed me nec patiens tantum Lacedæmon amore
Albuneæque domus
Sauciat, aut rutilans Larissæ campus opimæ
Aut Anienus honor,
Deniq; mobilibus pomaria viuida riuis
Tiburis atque chloës
Erigonæ quantum Przyiemski gloria claræ,
Quā nitet ista dies,
Cum Palatinus dextro pede Posnidos intrat
Mœnia chara diis,
Felix Erigone tantis decorata triumphis
Erige læta choros,
Viue tuo felix Przyiemski sæcula multa
Nestoreosque dies,
Viue Palatino tot sæcula, quot maris vndæ
Sidera celsa petunt,
Quot guttas Ganges quot Padus voluit arenas,
Quot fouet Ister aquas,
Quot volucres aër findentes sidera pennis,
Aethereasque d mos
Sustinet, inuisos quot oui Massilia nutrit
Et nigra sylua lupos.
Nouerit Erigonen Przyiemski Turca superbus
Sanguineusque Getes
Nouerit inuicto imbellis Mauorte Tyrannus
Sidera pigra colens.

# EPIGRAMMA VIRGINI PRZTIEMSCIANÆ AB AQVILA ADIECTVM

*Et à IACOBO IASTRZEBSKI lecitatum.*

Dum

DVm peteret Colchos olim Pagasæus Iason,
Et Siculi spumas finderet ære freti,
In crucis effigiem pressam gestabat Iyngem,
Colchidis vt technas luderet arte crucis
Przyiemski quare virtus pietasué fidelis
Vrsæ cœlestis sidera, stemma dedit?
Vrsa quod in nostro, opposito hoc in vertice cœli
Crux, vrsam comitem quis neget esse crucis?

*ANDREAS SWINIARSKI.*

INterea Coruus Paphias sulcabat arenas
Cimotho en secum ducens, cui brachia crines
Hispida velabant, bifido vestigia cornu
Tondebat pistrix, vectæ Nereides ibant
Audito Tritone suo, dêhinc ore soluto:
Leuçothoe qualis per aquas Cadmeia ludens
Alternisque rosas niueis interserit algis
Canitieî Glauci metrum immortale nitenti
Occinit, Ismariæ resonant clangoribus oræ;
Sic ait.

## CORVVS.

VRsa Przyiemski decorata factis,
Aureum nostri iubar es Trionis.
Aureo digna es celebrari in orbe
Alite metri.
Esto: sit talis iuga quem Pelori
Recreent, muri bimaris Corynthi
Siue delectent, rapidoque curru
Tangere metam:
Esto: sit talis rota quem fatiget
Puluerem in ludis Pythij Toparchæ
Colligens; esto populus Quiritum
Tollat in astra,
Esto: conetur gemino decore
Ad Deos tolli: iuuat in remotas
Alterum partes pelagi profundi
Vertere proram,
Nil eum terret triplici charybdis
Nobilis cantu, geminoque frendens

Scylla latratu, vel Echydna flauis
Horrida cristis
Nil mouet tristes Boreas procellas
Excitans, vix vix aliquid pauoris
Incutit luctans Nothus in profundâ
Aequoris vndâ,
Castra permultis sapiunt Gradiui
Plurimos ad se vocat æs recuruum,
Allicit multos resonans Monaulum
Murmure tristi,
Cerua quam multos fugiens per agros
Detinet, multos Lybicus moratur
Sus, iuuat quosdam redimire Bacchi
Tempora vittis.
Me iuuat doctis hederis plicare
Verticem: miscent superum cateruis
Me tuæ laudes, super alta splendens
Nobilis vrsa
Sic Palatinus tuus in patenti
Orbe clarebit, ferietque claro,
Vate me, vultu, rutilum decori
Sidus Olympi.

# EMBLEMA VRSÆ PRZY-IEMSCII A CORVO ACCOMODATVM.

*In quo Xerxes victor Athenarum à Persis triumpho excipitur.*

DVM Xerxes doctas bello superauit Athenas
Et palmas illi Græcia victa dedit,
Intranti muros exornant compita Persæ,
Et nectunt lætâ myrthea serta manu
Quin cum Bistonijs extra vrbis mænia filis
Egressi lætum læti acroama canunt.
Cur Palatino non defert talia Posnis?
Nimirum tacitùs nobiliora parat.

*STANISLAVS BORKOWSKI.*

DVM loquitur, passu fertur Cytherea, capillos
Proiicit intergus, gremio tunicamque fluentem
Alleuat, & gracili spirantem numine vestem,

Induit

Induit, excussos pluuijs quo temperat amnes
Quo cautes, fluctus, irataq; flumina sedat.
Vt primùm stetit ad Corui latus, impulit hastam
Atq; locum dicendi Ophiucho cedere mandat,
Virginis vt metris tantos decantet honores.
Ille graui circa collum serpente ligatus
Sic inquit.

## OPHIVCHVS.

Donarem phialas vitro
Quas Scorpi manus affabrè
Finxit; seu opus aureum
Massilæ artificis plagæ.
Donarem tripodas ducum
Graium præmia fortium.
Cultas effigies darem
Quas aut Parrhasius tulit
Aut fecit Danaus scopas
Hic crustis lapidis feri,
Viuis ille coloribus.
Donarem lepidas maris
Formas, aut Sicionias
Auro diuite diuites
Vestes, aut onychem grauem.
Sed nec Parrhasij tu delectaberis arte
Nec phialas curas multùm, aut crystallina vitra
Delicijsq; Scopæ tua mens non indiget auro
Arte laboratis, tripodas, formasq; marinas
Et duplici filo trabeatas spernis abollas.
Gaudes Pieridum metris
Et Cantu resonæ lyræ.
Ergo carminibus meis
O virgo celebrabere
Ingressu alma Przyemscij
Vrbem in Posnidos inclitæ,
Dignum laude virum mori
Famæ Musa vetat, comes;
Pôclis sic Iouis Hercules
Immortalibus interest
Sic Lædæ duo sidera,
Quassas eripiunt rates

Duris flatibus Africi
Affixas scopulis maris.
Ergo dum volucrum patientur culmina nidos
Montis Carpathij, rapidas dabit vnda procellas,
Et lepores producet Athos, Mytilena racemos
Carminibus nostris semper laudabere virgo
Przyiemski: famâ liquidum super aëra nota.

# EPIGRAMMA VIRGINI PRZTIEMSCII AB OPHIVCHO ADSCRIPTVM.

*Et ab ADAMO WYLEZYNSKI conspectum.*

INuidiæ propter patriam quod dente petatur,
Cur clypeum præpes non Iouis ales habet?
Hostes quod patriæ terret Mauorte feroces,
Przyiemski cur non stemma leone tumet?
Facundum doctis linguis quod Ariona vincat
Cur non Atlantis nablia, cera gerit?
Omnia non poterant alio complectier; Vrsâ
Quàm, quæ sola tenet, quæ tenet ora Lechi.

*PETRVS STARKOWIECKI.*

DIxit & in Phrygias concedit viuidus oras,
Exploratores vbi multa plebe feruntur
E viuis tolli iussu precibusque Dianæ,
Aut vbi Carpathicis Triton sub fluctibus hærens
Cimothoen sequitur fultus temone supino,
Quem timet illa, timet nimium seseque sequenti
Subripit, & nudis aliquando elabitur armis
In terram; Telum interea pernicius Euro
Aduolat, & primò surrectis auribus adstat
A lepore acceptis Phrygio, sic deinde locutum est.

# SAGITTA.

IAM satis cœlo rosei cruoris,
Sat cruentaui rapidos Gelonos,
Ebrius nostro satis est Caici
Sanguine campus,
Quem bibi, nigras volucrum phalanges

Sauciars

Saucians, tabo rigidoque pota,
Hispidâ, quondam Pythii Draconis,
Fauce fluenti;
Terrui gentes satis in Caistri
Colle, ducentes pecudum cateruas
Sordidarum albas, cythisi per aurêi
Pabula grata,
Vidit iratum Thramius Pelorum
Ebrium nostra rabie, & furore
Percitum, sensit Danaus dynasta
Tela Politæ.
Vrsa; te propter rabiem furoris
Pono, nec quenquam nisi iussus à te
Saucium reddam, vel in hostis ibo
Castra superbi.
Et tuo semper statuo Przyemski
Obsequi, ad nutum rabiem cruentam
Induam illius, vel eam remittam
Absq; mora vllâ.

## EMBLEMA VRSÆ PRZYIEMSCIANÆ SAGITTA LEGENDVM EXHIBET.

*In quo læti Persæ plateas peristromatis exornant.*

SI quæ Persarum pertentant gaudia mentem,
Letitiæque modus pectora læta facit
Phœbeâ exornant lauro, baccisque plateas
Imponuntque super culmina, serta rosæ,
Frenatis in equis tumidi super aëra surgunt,
Altaque sublato vertice tecta petunt.
Przyiemio Posnis longè maiora parauit,
An non maioris gloria maior erit?

*MATTHIAS ORZELSKI.*

DIxerat: interea fastu turgente tumescens
Dente Theonino stridens, oculisq; Phlegreas
Eiaculans flammas, petulanti splene cachinno
Momus, suspensis plantis irrepsit in agmen

Stellarum: stupuêre Deæ, & vox faucibus hæsit:
Collegere deinde animos, Momumque sereno
Omnes exturbant cœlo, dêhinc talia fantur.

## PRIMA LEGIO STELLARVM.

*In Momum tale conijcit amentum, audiente*

## STANISLAO SZOŁDRSKI.

MOme quid indomito proscindis carmina morsu?
Erigonæ laudes barbita quando sonant.
Iam scio, Virgineo cœlum dum splendicat astro
Tum canis exoritur. Momus an ergo Canis?

## SECVNDA LEGIO.

*In eundem torquet hoc hastile, conscio*

## ANDREA NIEGOLEWSKI.

MOme quid est? telo vis pungere carmen acuto
Virginis? Aoniæ quod dedit auctor aquæ.
Erras: an nescis? quòd in ipso Virginis ortu
Thessalio tabo pota sagitta, cadat?

